



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Cura mortuorum. Cap. XXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

mum uel conualuerint, uel à suspicionē liberę erunt, illius cura, & studio in monasterio, locouē pio collocabuntur; aut matrone honestę famulatu addicentur; aut alia honesta conditione eorum necessitatibus, ac simul pudori prospicietur: & quo rectius, & cautus id omne agatur; ad Episcopum etiam, si opus erit, confugiet.

7 Puerorum, & adolescentum, qui mortuis parentibus, & propinquis in eodem statu uersentur, & infantum etiam lactentium, & aliorum præterea, qui ab omni re inopes, aliorum auxilio destituuntur, eandem ipsam curam, & sollicitudinē paternā suscipiet, ac sustinebit.

Cura mortuorum.

Cap. XXIX.

S Y M M A R I V M.

- 1 Mortuorum Episcopi cura.
- 2 Mortuus quot horis insepultus remaneat; quando, & quomodo, & à quibus efferendus.
- 3 Vespilones, Monatiuē, efferendis mortuis præsciendi: iisque deficientibus à quibus alijs efferendū.
- 4 Funus, ex ritu Ecclesię; & à quibus Sacerdotibus agendum. 6.
- 5 Impensa funeris à quibus facienda.
Elemosina funeris, quanta. 8.
Sepultura; sepulturaeque locus qualis. 9. 10.
- 7 Sepultura nemo tradendus infcio Parocho, Sacerdoteuē: & quid ea in re ab illis agendum.
- 11 Clerici funus à quo celebrandum.
- 12 Officia pro mortuis que, quando, & à quibus agenda. 14. eaque in re officium Parochi. 15. 16.
- 13 Episcopi mortui funus, & exequia.
- 17 Episcopi officium in suffragijs mortuorum procurandis.



Ec pro mortuis pestilenti tempore præstanda Episcopus curabit, eoque vigilantius, quò grauior culpa multorum in eo caritatis officio aliquando exilit.

Si quis igitur peste affectus, eouē nomine suspectus mortem obit, eius corpus nè citius duodecim horis, nec verò tardius quattuor, & uiginti horis, vel eo circiter temporis spacio sepeliatur, postquam obijt.

Noctu nè efferatur, nisi Episcopi concessu scripto aliter quandoque iustis causis permissum sit.

Curru item nè vehatur; nisi præ mortuorum multitudine; aliaue causa secus fiat necesse est.

Nè humeris vnus tantum, tamquam onus gestetur, succoleatur; nec verò nudum, nulloque operimento tectum, etiam si curru feratur, nec alio modo indecenter, atque inhumanè.

Porro à duobus efferatur decorè, binis longurijs, aut hastilibus solidis, benèque firmis, quibus feretrum sustineatur, aut scala decenti, alioquè eius generis opere. Sit autem inclusum in capsam, vel linteamine rectè inuolutum; tum pallio præterea, ad hunc usum constituto, corpora operiantur, etiam quando vehiculo efferuntur.

3 Ad efferendum vespillones, qui Monatti vulgò dicuntur, adhibebuntur; qui si minùs publico stipendio conducti sunt, curandum erit, vt corporis, & efferendi, & sepeliendi curam suscipiant, & gerant, qui in ea ipsa domo, familiaue sunt, in qua erat qui pestis morbo obiit; aut illi, qui, vel cognatione, vel amore, & caritate coniunctiores, cum eius pestilentia contagio laborantis, curam præcipuam habuerint; vt ab illius latere non discesserint, mortui etiam funus, & sepulturam libentius, atque minori periculo curabunt, ac præstant, cum officio caritatis adducti, tum etiam quia nihilominus aliquo temporis spacio ex lege magistratus, qui sanitati præest, seclusi, ab aliorum consuetudine sint oportet.

4 Funeris stas precibus, & psalmodijs, aliorumque orationum officio, vt Ecclesie ritus est, prosequendi, celebrandiue munus, ad Sacerdotes, locis illis peste laborantium constitutos, pertinebit, si qui sunt; alioquin id officium præstabit vnà cum clerico proprius mortui Parochus.

At vnique tamen Parocho, animarumue curatori liberum, integrumque erit, huius impensis certum alium Sacerdotem vnà cum Clerico constituere, qui Parochialibus suis, pestilentia mortuis, officium funerale præstet, cum scilicet non in Parochiali Ecclesia; sed in cæmeterijs sepelientur; quæ præcipue ad sepulturam constituta sunt pestis morbo morientium.

5 Si mortuus aliquid in bonis reliquit, hæredes omnem, & cetera funeris totius impensam cogantur, pro illius qui obiit, dignitate; proque Cleri, quæ ad funus adhibetur, ratione; ac pro sepulture, quam sibi in aliqua certa sede delegit, modo. Sin autem vel in ædibus hospitalibus, vel in ijs locis tuguriorum mortem obiit, in earum ædium, locorumue cæmeterio humabitur: cuius funeris, sepulturaue officium Sacerdotes, & Clerici obibunt, qui ibi curam gerunt; Vbi si complures non sunt, is vnus tantum, qui est, ad funus satis erit. Cetera porro sumptus, ab hospitalibus, eorumue locorum curatoribus fiet: isq; à bonis mortui, si quæ in illis, vel hospitalibus domibus, vel tuguriolis relicta sunt, refarcietur.

Vbi

Vbi nulla alia ratio sumptus sit pro funere defuncti, ceram in fune-
ris sumptum conferre, & sepulturam in cimiterio curare, Parochi sit ;
vt ceteris Parochialibus suis, ab omni re inopibus, qui obeunt, itidem
prestare debent.

6 Et campanarum sono, & cruce prealata, & luminibus accensis, &
ceteris caerimonijs, statoque omni ritu Ecclesiastico & Parocho alioue
Sacerdote, & Clerico saltē vno funus ducatur ; etiam si Episcopi con-
cessu, noctu fiat, & curru item non vnus solū ; sed plures ; peste ex-
tincti efferantur. Quo in funere idem Parochus alioue Sacerdos, &
Clericus superpelliceo indui, cum pro adium, alteriusue loci foribus,
vnde efferuntur, tum in via, tum loco demum, vbi sepeliuntur, psalmo-
rum, precumque officium, vt moris est, pro mortuis prestent.

7 E domicilio autem, locoue, vbi qui peste mortuus est, non antea ef-
feretur sepulture causa, quam Parochus, alioue illius curæ Sacerdotes,
de obitu certiores in eo tēpore per vespillones, aliosue ministros fiant ;
atque certa sepulture hora constituta, Parochus, aut constitutus ille
sacerdos aduenerit, presensue aderit : qui vt in tempore adsit, curet
omnino. E loco, vnde efferitur, Parochus, alioue Clericalis ordinis ho-
mines, qui funus obibunt, non ante ad Ecclesiam, cæmiteriumue di-
scedunt ; quam mortui corpus vespillones feretro, aut curru, alioue
modo efferendum sumpserint ; vt illi, quod ritus Ecclesie sanctæ po-
stulat, statis precibus funus ritē ducant.

8 Funeris, sepultureue causa nē Parochus, alioue Sacerdos, neque
Clericus item, plus eleemosynæ, nē spontē quidem oblatæ, vllō quouis
nomine, pretextuue capiat, quam vel dare ob funus alio tempore solet,
vel ab Episcopo prescriptum est, aut concessum.

Nec verò emolumentum cuiusquam societatem cum vespillonibus :
alioue funerum curatoribus, cæterisque id generis eo nomine ineat,
eui rei, aliisque auaritiæ fordibus, atque suspicionibus vt occurratur,
quicquid fructus, eleemosynæue in singulos menses ab exequijs, quæ
peste mortuorum nomine fiunt, acceperit ; in vrbe prefecto regiona-
rio, aut, si in Diœcesi est, Vicario foraneo singulis item mensibus scri-
pto significet.

9 Peste mortui corpus nē extrâ loci sacri fines sepeliatur, nē eo qui-
dem nomine, quod aliquo post tempore ad locum consecratū trans-
feratur : sed in Parochialis Ecclesie, intrâ cuius fines obiit cæmiterio
humetur, aut, vbi illud non est, in ea ipsa Ecclesia, uel cõmuni sepul-
ture loco, vel, si consensus ius habentium accesserit, priuato. Si verò
pre cæmiterij, Ecclesieue Parochialis angustia, aut pre mortuorum
multitudine aliud ab Ep̃o, cæmiteriū, vel in viciniae Parochiali, uel in
hospitalibus, vel in tuguriorū loco cõsecratū est, in eo ipse sepeliat licet,

In

10 In sepeliendi officio ea cautio adhibeatur, vt in cœmeterijs, præfertim quæ in vrbe, oppido, aut vico sunt altius fossæ effodiantur, ubi in sepulturam corpora tradantur, nè inde fœtor contagiosus exhalet. Earum igitur altitudo tanta erit, ut supra cadauer terra extet altè congesta tres, quattuorue cubitos. Vbi uerò sæpius sepulchrum aperiendū est, eò altius erit: &, quoties sepelietur, toties terra, aut calx, aut arena conijciatur, qua corpus benè obtegatur. Hęc atque adeò alia potior ratio adhibebitur ad corporum fœtoris uim continendam.

11 Clericalis ordinis homo si fortè decedit, eius funus ab aliquo Cleri numero celebretur, & corpus intus in Ecclesia sepeliatur, si secus fieri non cogit loci longinquitas, ad quem effertur.

12 In Altaribus privilegiatis saltem pro Ecclesiastici ordinis hominibus tot Missæ pro defunctis celebrabuntur, quot ex illis peste mortui sunt; ità vt singulæ Missæ singulis mortuis applicentur.

13 Si Episcopum mori contigerit, eius funus, & exequiæ curabuntur, & celebrabuntur ad Concilij primi, & quarti Prouincialis præscriptum. Pro qua defuncti anima fiet, vt eodem Concilio quarto cautū est. Nec verò quicquam obstabit, quo minus ei defuncto omnia debita pietatis officia præstentur: hocque ardentiori caritate, quod paternam illius, accensamque dilectionem periculoso illo tempore gregi, sibi commisso, præstitit: pro quo non modo facultates; sed vitæ constantissimè in Domino profudit.

14 Et quoniam illud in pestilentia quàm sæpissimè accidit, vt parentes simul, & liberi, eodem ferè tempore obeant, neque heredem, successorèue vllum relinquunt; aut, si quos relinquunt, illi quidem sine cognationis gradu non arctius coniuncti, aut aliquando, si liberi superstites sunt, ij vel minores natu, vel sæpè eodem morbo affecti, vel suspecti, ob eamque causam à cæteris seclusi sunt. Quò fit, vt nemo ferè sit, qui Missæ sacrificijs, & stas diuinarum precum officijs, alijsque pietatis operibus earum animas adiuuare curet. Quamobrem præfectus regionarius, & Vicarius foraneus in sua quisque regione, vbi peste laboratur, pro si mortuis Missæ solemne sacrificium, præter aliam Missam conuentualem singulis hobdomadis, quò ad pestilentia cesserit, feria secunda à Clero vniuscuiusque collegiæ celebrari iubeat; si modò per dici festi celebritatem, quæ in illam feriam incidit, id præstari licet.

Hoc idem Sacerdotes singuli Missæ sacrificium facient.

In ea ipsa feria, quæ primùm in singulos menses inciderit, in vnaquaque vrbe regione, & in singulis Diœcesis partibus quibus Vicarius foraneus præest, ab omnibus eiusdem regionis, & partium illarum Diœcesanarum Parochis solemne pro mortuis officium, solemneque etiam

etiam Missæ sacrificium peragatur. quòd si in ea feria per officij ritum peragi non potest; in alia proximè sequenti præstetur. Huic autem rei præstandæ modum Episcopus, pro Diocesis suæ ratione præscribet.

Singulis præterea diebus, præterquam, cum pro officij ratione, aut ob aliam causam non potest, Sacerdos vnusquisque in Missæ sacrificio orationem, collectamue pro mortuis religiosè dicat.

Moniales etiam certo hebdomadæ die, ab Episcopo præscripto, officium mortuorum recitent.

15 Singulis quoque diebus dominicis vnusquisque Parochus, animarumue curator, populum intrà Missarum solemniam admonebit; vt non modo tunc, cum in Missæ sacrificio præsens adest, pro mortuis simul præcetur; sed postridie illius diei, quo pro illis fiet, in Ecclesiam ad diuina officia, solemneque Missæ sacrificium frequens conueniat. Qui verò impeditus adesse non potest, saltem vel domi, vel in officina, tabernauè, vel vbicumque erit, pro eis paululum oret, religiosi precibus adhibitis, prout est pietatis suæ diligens studium.

16 Singulis denique dominicis diebus prima hora noctis certum campanarum signum de more solemne detur, quo & oratio quæ tunc à fidelibus pro mortuis facienda est, & diuinorum officiorum celebritas, quæ postero die eorū causa agetur, omnibus vniuersè significetur.

17 Hæc autem omnis defunctorum animabus piè suffragandi ratio, Episcopo curante, ita inibitur, statueturque in tota Diocesi, vel in eius parte, vt pestis sese diffuderit, vel Episcopus idem censuerit.

Hoc ipsum omne vt in suis Ecclesijs à regularibus præstetur, omni cohortationis officio ille curabit. Quin etiam litteris cum Metropolitano, & alijs Prouinciæ Episcopis aget, vt par pietatis studium in sua quisque Ecclesia ijs defunctis præstent.

Peste restincta quæ præstanda. Cap. XXX.

S V M M A R I V M.

- 1 Peste restincta, gratiarum actio, supplicationibus agenda. 17. hæcque ab Episcopo procuranda. 1.
- 2 Sacra communio.
- 3 Oratio quadraginta horarum.
- 4 Supplicationes triduane.
- 5 Christianæ institutionis regula.
- 6 Votorum persolutio.
- 7 Legatorum præstatio.

Vitio-